

Heinrich Schuckmann Friedrich Clatte

Disputatio Inauguralis De Fructibus

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731847156>

Druck Freier  Zugang



Früchte

H. Schuckmann (F. Clath) Vert. / or

R. U. vis. 1642.

7

DISPUTATIO INAUGURALIS
De
FRUCTIBUS.

Quam
I. N. D. N. J. C.

Permisu & Decreto
Magnifici, Nobilissimi, nec non Amplissimi 7 Ctorum
Ordinis in alma Rosarum Universitate

SUB PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI,
SPECTABILIS, CONSULTISSIMI ET AMPLIS-
SIMI VIRI,

DNI. HENRICI Schuckmann/

Academiae Antecessoris, Amplissimaeq; Fa-
cultatis Juridicae p. t. DECANI, & Practici praclarissimi,
Dn. Fautoris Praeceptoris ac Promotoris mei aeternum
suspiciendi,

Pro summo in utroque Jure gradu & Privilegiis,
eidem competentibus, consequendis.

Horis ante & post meridianis.

Publicae cynosurae placidè submitto

FRIDERICH CLATTEN,

CELLA LUNEBURG.

Die 22. Septemb. Anno M DC. XLII.

✠ (o) ✠



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typographi.

DISSERTATIO IN AUREA
FRUCTIBUS



Dr. H. S. ...
Academica ...

Prof. ...
FRIDERICUS ...



I.

Fructus dicuntur vel à *ferendo*, ita ut omnes fructus quos fert fundus & quæ in fundo feruntur completatur; *l. item si 9. de Usufr.* vel à *Fruendo* potius: quòd rebus fundo perceptis fruamur. *d. l. item si 9. d. Usufr.*

II. Fructuum significatio vel generalis est, vel specialis. Generali Fructuum appellatione continentur omnes omninò redditus & obventiones, omnia emolumenta & commoda; sive natura ex ipso rei corpore eos producat, sive curâ & industriâ hominis proveniant, quâ significatione, etiam usuræ, pensiones, vecturæ, mercedes navium, jumentorum, et aucupia, Fructibus annumerantur. *l. venationem 26. ff. de usur. l. 9. §. aucupiorum §. l. 62. 1. de usufr.*

III In speciali verò significatu ac propriè Fructus ii intelliguntur, qui ex corpore cujusq; rei ita percipiuntur, ut ex eo salvo renascituri sint. *l. item si 9. in pr. l. arbores 59. §. 1. ff. de Usufr.*

A 2

IV.

IV. Dicuntur etiam in strictiori significatione Fructus, qui ex arboribus nascuntur *l. un. §. 1. ff. de gland. leg.*

V. Duplices autem Fructus constituimus; civiles, & naturales.

VI. Civiles sunt Fructus, qui non naturaliter ex ipso rei corpore proveniunt, sed qui jurè & ex obligatione, propter rem sc. percipiuntur: ut sunt usuræ, pensiones, mercedes, salaria & c. *l. usura 34. ff. de usur. l. 27. §. 1. de hered. pet.* qui proprie Fructus non sunt, sed vicem illorum obtinent *l. usura 121. de U. S.*

VII. Naturales Fructus sunt, qui ex re ipsa naturaliter nascuntur ac proveniunt *l. si navis 62. de Rei vindic.* Et hi Fructus vicissim, sunt duplices: sc. merè vel simpliciter naturales, vel industriales.

XIIX. Merè Naturales sunt, quos sine facto hominis, ex corpore rei, sua sponte, natura producit; ut sunt glandes, poma, pyra, cerasa, silva cædua, uvæ, fœnum, fœtus, lac, pilus, lana. §. *pecudum 38. Inst. de Rev. div. l. fructus 45. de usur.*

IX. Industriales naturales sunt, qui ex rei licèt corpore

corpore producantur, præcipuè tamen hominis operâ, labore, industriâ ac culturâ proveniunt, ut sunt frumenta, vinum, oleum &c. ita dicti quod in his industria magis, quàm natura spectetur. *d. l. fructus l. bonæ fidei 48 de acquir. rei dom.*

X. Præterea etiam dividuntur Fructus in Futuros, Pendentés, Perceptos & Percipiendos.

XI. Futuri dicuntur, qui in rerum natura non sunt, sed sequentibus annis nascituri sperantur *§ ea quoque 7. Inst. de leg* Et hi æquè, ut jam nati in commercio humano sunt. *d. §. Et l. quod in rerum de legat. 1.*

XII. Indefinitè itaque Fructibus futuris, venditis, legatis, vel quovis modo in contractû aliquè deductis, si nihil eo anno natum ac perceptum fuerit, nihil debetur, sicq; debitor liberatur: cum verò egerit ne nascantur aut fiant, actio adversus eum competit. *l. nec emtio 8. ff. de contrah. emt.*

XIII. Si verò quod vi aut tempestate factum esset, se præstaturum debitor in se susceperit, tunc etiam adversus eum agi poterit *l. fistula 78. §. ult. ff. de contrah. emt.*

XIV. Ubi autem bis in anno nascuntur Fructus, de primis tantum Fructibus id intelligendum: Sic contra si semel pluribus annis Fructus capientur idem dicendum, ut in silva cædua *l. fructus eos 7. §. quod in anno 6. §. 7. ff. solut. matrim.*

XV. Non indefinitely & simpliciter, sed pondere, numero & mensurâ certâ adjectâ, Fructus futuri in obligationem deducti, si primo anno nihil natum fuerit, in sequentes annos donec fructus nati fuerint obligatio firma manet. Et si nati, sine culpa promisoris consumti sunt, rursus expectandum, donec iterum nascentur & dari possint *l. inter stipulantem 83. §. 5. vers. pro quo de U. O. l. Firmio 26 ff. quand. dies legat.*

XVI. Porro si non semel & uno anno, sed sæpius & pluribus annis certa Fructuum futurorum quantitas præstanda veniat: E. g. ego ex eo vino quod in fundo Tusculano nascetur, quotannis amphoras decem dari stipulatus sum, quo anno nihil natum, ex superiori anno ejus fundi, numerus amphorarum implendus est *l. ex eo vino 13. ff. de trit. vin. vel. oleo.*

XVII. Quando autem certum numerum vini scilicet amphoras decem ex eo vino, quod in fundo Tusculano
lano

lano natum esset, mihi dari stipulatus sim, & so-
lis quinque collectis, non amplius petere possum:
quia taxationis causâ hæc verba: *quod natum es-*
set, adjecta sunt, & sic intelligi debent, atque si
hac conditione posita essent, si quid ex eo fundo
natum fuerit. *l. si debitor 39. §. 1. ff. de contr. emt.*
Et vend.

XIIX. Pendentes fructus dicuntur, qui nati qui-
dē & formati, sed qui rei adhuc sunt cohærentes.
l. f. §. 4. §. 6 ff. quæ in fraud. credit. Hi etiam stantes
dicuntur *l. 26. §. 1. ff. de furt.*

XXI. Hosque Fructus partem fundi esse constat
ex Cajo in *l. 44 ff. de R. vind.* Fundum itaque alie-
natum sequuntur. *per l. f. §. fructus 6 ff. quæ in fraud.*
cred. Unde quoque & inter res hereditarias con-
numerantur tempore mortis, ita ut augeant æsti-
mationem hereditatis monente *Papin. l. 9. ad L.*
Falc. & in legato bonorum immobilium fructus,
mortis tempore pendentes, contineri satis con-
stat.

XX. Posunt & hi fructus vendi & emi, quan-
do igitur à venditore emtor venditos fructus pen-
dentes legere prohibetur, adversus eum petentē
pretium, exceptione uti poterit, si ea pecunia tra-
dita

dita non est per *l. qui petentem 25 ff. de act. emt.*
sic quoq; hypothecæ loco dari possunt fructus
pendentes *l. Quæ nondum 15. ff. de pign.*

XXI. Ex pendentibus Fructibus, quidam dicū-
tur maturi, quidam non maturi per *l. f. §. fructus 6.*
ff. quæ in fraud. cred. inq; his non maturitas natura-
lis spectanda venit; sed id tempus quo magis do-
mino eos fructus tollere expedit. Itaque cum
olea immatura, plus habeat reditus, quam si ma-
tura, legatur, non potest videri, si immatura
lecta est, in fructu non esse ut Jct. ait. in *l. in*
fructu 42. de usufr. leg. sicq; sylva cædua intem-
pestivè cæsa, & fœnum immaturum cæsum in fru-
ctu habetur. *l. si absente 48. §. 1. de usufr.*

XXII. Fructuarius igitur non solùm ma-
turos sed & immaturos Fructus suos facit, qui-
bus perceptis, quamvis ante tempus maturitatis
naturalis fructuarius denascatur, eos tamen ipsi-
us heredes proprietario restituere non sunt co-
gendi §. *si quis à non domino 36. l. d. R. divis.* quia
quod non est restitui nequit. *l. 20. §. 6. de hered.*
petis.

XXIII. Percepti fructus dicuntur, qui à re
sunt

sunt separati, licet adhuc humi jaceant *l. si ejus*
78 ff. de R. vind. Quod itaque dicitur bonæ fidei
possessorem interim facere fructus suos, hoc in-
telligendum est quoquo modo à solo separati fu-
erint *l. si quis scit 25. §. 1. vers. præterea ff. de usur.* Si
v Fructus per se deciderint, tunc fiunt fructuarii,
quum eos perceperit *l. si fructuarius 13. ff. quib.
mod. usufr.*

XXIV. Percipiendi sunt qui non percepti,
sed honestè percipi potuerunt *l. sine herede. 32. ff.
de adm. tut.*

XXV. Hactenus unde nomen fructus, quid, &
quàm latè ejus significatio, quæque res Fructus
appellatione contineantur, quoque modo iidem
dividantur dictū fuit: sequitur quoniam fructus suos
facere, qui restituere, & quibus restitui debeant.

XXVI. Et pro regula hinc notandum. Quic-
quid ex re nostra nascitur jure naturali statim
nostrum esse, illudvé non tantum procedit in i-
psis dominis, verùm etiam in usufructuario & o-
mnibus aliis qui vicem dominorum obtinent.

XXVII. Quum itaque hereditas sit successio
in universum jus, quod defunctus habuit *l. heredi-*

B

tas

tas de R. 7. Omnes Fructus qui ex hereditate
proveniunt heredis sunt, siue ante siue post adi-
tam hereditatem accesserint. *l. item veniunt. 20. §*
3. ff. de her. pet. sic & gregum & pecorum partus
augent hereditatem l. si quod si oves 26. d. t. & non
solum fructus, sed & fructuum fructus & partuum
partus p. l. ancillarum 27. d. t.

XXIIX. Eodem modo usurae Fructuum per-
ceptorum ante actionem hereditatis illatam au-
gent quidem hereditatem; sed non post petitam he-
reditatem perceptorum *l. heres § 1. §. 1. h. t.* Pensiones
quoque perceptae, mercedes à colonis loco fru-
ctuum acceptae; operae servorum; item vecturae
navium & iumentorum augent hereditatem. *l.*
ancillarum 27. l. mercedes 29. h. t.

XXIX. Quoniam omnium rerum, quae fue-
runt defuncti, heredes domini habeantur ac he-
reditas ex Fructibus augmentum accipiat, ratio-
ni conveniens est, ut alterius hereditatis pos-
sessor, fructus ex eâ perceptos heredi restituat.

XXX. Hereditatis per fidei commissum re-
lictæ fructus, ante aditam hereditatem percepti,
fidei commissario debent restitui *l. ita tamen 27. § 1.*
ff. ad

ff. ad SCtum Trebell. item usuræ præteriti temporis restituendæ sunt, *l. deducta 58. ff. eod.* Post aditam verò hereditatem percepti fructus non restituantur *l. in fidei commissaria 18. d. t.*

XXXI. De fructibus hereditatis per fideicommissum in diem vel sub conditione relicta, ante aditam hereditatem perceptis, idem quod de fructibus purè fidei commissi asserendum venit, si dies venerit vel conditio extiterit *l. filium ff. de opt. leg.*

XXXII. Legatario etiam in diem vel sub conditione relicti fructus ante aditam hereditatem percepti restitui debent; legati siquidem dies à tempore mortis cedit *l. legatum 80. ff. de legat. 2.*

XXXIII. Porrò perceptionem ac restitutionem fructuum quod attinet, jura nostra inter bonæ & malefidei possessorem distinguunt *l. 22. C. de R. vind.*

XXXIV. Si malæ fidei est possessor, omnes omninò fructus restituit, siue sint pendentes, siue percepti, siue percipiendi *l. domum 5. l. certum est 22. C. de rei vind.* nemini enim dolus, & delictum suum contra naturalem æquitatem prodesse debet *l. 1. § 1. ff. de dol. mal. l. 134. § 1. de. R. 7.*

B 2

XXXV.

XXXVI. Et in tantum etiam ad restituendos fructus obligatus manet: ut licet maximas impensas & sumtus in re alterius colenda, fecerit, summamq; diligentiam, qualem diligentissimus paterfam. solitus est §. 1. *l. locat.*, adhibuerit, tamen fructus suo labore ac industria quæsitos, suos non facit, per *c. damnnum de R. l. in 6to l. nam hoc natura ff. de cond. in deb.*

XXXVII. Unde optima sanè ratione à Jctis constitutū, ut non tantum perceptorum, sed & percipiendorum fructuum restitutionis ratio habeatur per *l. domum s. C. de rei vind. l. si navis §. generaliter. i. ff. eod.*

XXXVIII. Quamvis enim Interdicto, unde vi actum, tamen fructuum ratio ex eo die, quo quis dejectus est habetur *l. i. §. 1. ex die 40. ff. de vi & vi arm.*

XXXIX. Et non duntaxat, fructuum perceptorum, sed & omnium quoscunqve habiturus is erat, qui vi dejectus est *l. videamus 38. §. i. de i. ff. de Usur.*

XL. Ji tamen æstimari debent pro arbitrio boni

boni viri à magistratu, pro interesse sc. vi de-
ctum non fuisse *d. l. 1. §. ex die 40. d. t.*

XLII. Est tamen casus, quo malæ fidei pos-
sessor fructus restituere non cogitur, scil. quando
principalis actio per præscriptionem longissimi
temporis peremta: actione enim non subsisten-
te, supervacaneum est super fructibus adhuc
judicem cognoscere *l. eos 26. C. de usur.*

XLIII. Per singulos verò annos fructuum
præstandorum obligatio contracta, quæ non est
accessoria sui principalis, sed per se ut principa-
lis, subsistit, & debitor continuis 30. vel 40.
annis ex die datæ obligationis numerandis
nihil præstiterit, nec ut solveret à creditore in-
terpellatus fuerit, & si forsan à primi, secundi,
tertii vel quarti anni liberatus fuerit, insequen-
tium tamen annorum fructus rectè restituere te-
netur *l. cum novissmi 7. §. f. C. de præscr.*

XLIII. Est etiam casus quo malæ fidei pos-
sessor fructus percipiendos petitori restituere
non est cogendus *l. ceterum 31. ff. de rei vind.*

XLIV.

XLIII. Si verò bonæ fidei possessor fuerit, quoad fructuum perceptionem, sequens divisio observanda erit: aut enim percipit fructus post, aut ante litis contestationem §. 36. de R. Divis.

XLIV. Possessor autem bonæ fidei post litis contestationem, fructuum omnium sive sint naturales, industriales vel civiles: sive sint pendentes, percepti & percipiendi, restitutionem facere debet; malæ enim fidei possessori post motam controversiam æquiparatur l. 22. C. de rei vind. talis enim esse incipit. l. 109 de V. S.

XLV. Quæstionis autem est an perempta lite, & longo post tempore revocata, fructus ex tempore primùm contestatæ litis: an verò ex eo tempore quo lis interrupta revocata est, bonæ fidei possessor præstare teneatur? & resp. veriorum illorum sententiam esse, qui statuunt quod ex die litis primùm contestatæ, fructus in restitutionem veniant l. ult. C. de præsc. 30 vel 40. annor. l. Titia 87. §. 1. de leg. 2.

XLVI. Quando autem lis non est contestata, tum fructus vel sunt pendentes, & hos restituit. l. f. §. 4. ff. quæ in fraud. cred. quia res integrè

grè & totaliter restituenda venit *l. 14. de V. S.*
at pendentes pars rei sunt *l. 44. ff. de rei vind.*

LVII. Vel sunt non pendentes fructus & tunc interim & temporaliter bonæ fidei possessor eos facit suos, quia onus curæ & culturæ habet §. 36 *I. de R. div. l. 48. in pr. ff. de A. R. dom.* & quia bonæ fidei possessor pro domino habetur *l. 136. de R. 7.*

XLIIIX. Quando autem bonæ fidei possessor fructus simpliciter suos facit, tum distinguitur inter perceptos, consumptos & percipiendos. Et illi sunt vel exstantes & restituit eos b. f. possessor *l. 22. ff. de rei vind. cap. accessorium de R. 7. in 6.* Nisi usucapti sint *l. 4. §. 5. ff. de usuc.* quia dominii jure quæsitum habentur. *l. 22. C. de pact.*

XLIX. Si autem fructus sunt consumpti, tunc bonæ fidei possessor ad illorum restitutionem non est obligatus §. 36. *7. de R. div.*

L. Vel deniq; sunt percipiendi fructus & ii non restituntur à possessore bonæ fidei §. 2. *7.*

de

*de Off. jud. domini enim loco habetur l. 136. de R.
7. cum itaque quasi rem suam neglexerit, nulla
querela eo nomine aduersus ipsum
competit l. 31. §. ff. de pet.
hebed.*

SOLI DEO GLORIA.



boni viri à magistratu, pro int
ctum non fuisse *d. l. 1. §. ex die 40*

XLII. Est tamen casus, qv
for fructus restituere non cogit
principalis actio per præscriptio
temporis peremta: actione eni
te, supervacaneum est super
judicem cognoscere *l. eos 26. C.*

XLII. Per singulos verò
præstandorum obligatio contra
accessoria sui principalis, sed pe
lis, subsistit, & debitor conti
annis ex die datæ obligatio
nihil præstiterit, nec ut solvere
terpellatus fuerit, & si forsan à
terti vel quarti anni liberatus f
tium tamen annorum fructus re
netur *l. cum novissimi 7. §. f.*

XLIII. Est etiam casus qv
sesfor fructus percipiendos pe
non est cogendus *l. caterum 31. ff*

i deje-

posfes-

vando

gissimi

sisten-

adhuc

ctuum

on est

ncipa-

el 40.

randis

ore in-

cundi,

eqven-

ere te-

r,

ei pos-

tituere

d.

XLIV.

